

IUSTI LIPSI
DE BIBLIOTHECIS
SYNTAGMA.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum,

MD. LXXII.
Cum Privilegiis Casareo & Regio.

ILL^{MO} ET EXCELL^{MO}
PRINCIPI

CAROLO

DUCI CROIIO ET ARSCHOTANO,
PRINCIPI S. IMPERII,
EQVITI AVREI VELLERIS.



HOC DE BIBLIOTHECIS
quod scripsi, ILLV-
STRISSIME PRIN-
CEPS, ipsum ire ad te
ambiebat, vix me mit-
tente. Quis nescit te
eximium inter Belgij proceres esse, qui
harum rerum elegantia & studio capia-
tur? Itaque cum alia artium veterum in-
struis & adornas, tum *Nummos & Bibliothe-*
cas maximè: de quibus istis *Commen-*
tarium hunc concepisti & digessi, non vo-

IUSTI LIPSI
DE BIBLIOTHECIS
SYNTAGMA.

CAP. I.

Bibliotheca, & Libraria, quid? Reges veteres habuisse, atque illos Ægypti.

BIBLIOTHECA tria significat, *Locum, Armarium, Libros.* Græca vox Latinis in usum etiam venit, & quamquam *Librariam* dicunt, tamen magis est eâ voce tabernam capi, in quâ venales libri exstant. Sed Bibliothecarum res vetus, & nisi fallor, cum ipsis litteris adinuenta. Nam simul ac scire & sapere natum est, mox etiam scribere: & istud esse cum fructu non potuit, nisi ut libri adseruarentur & disponerentur, ad presentium & posteriorum usum. Priuata primùm ea cura, & quisque sibi suisque struebat: postmodum Reges & Dynastæ usurparunt, nec in usum solùm, sed ambitionem aut splendorem. Sanè multos congerere, vix fuit priuati hominis aut census: cùm tarda & impendiosa descriptio esset: donec utilissima hæc Typographia rem in compendium misit. Qui primus Regum illustrem habuit (quod memoria seruet) is fuit Osymanduas, Ægypti, qui inter alia operum præclara, *Sacram Bibliothecam struxit, & in eius*
B *fronte*